

F. R. 61. 3

X 2055019

320

Z c
3883

JASON RUTHENICUS,
HOC EST,
VIR, DUM FATA SINEBANT,
MAGNIFICUS, NOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS,
ET EXCELLENTISSIMUS,
D O M I N U S

CHRISTOPHORUS LIMMERUS,

JC^{tus} CONSUMMATISSIMUS,
HEREDITARIUS IN Seilß - ET Scheibengrobsdorff/
CONSILIARIUS PRIMUM DEINDE ET CANCELLARIUS
PER SEMISECULUM PROPE BENE MERENTISSIMUS, CON-
SISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR GRAVISSIMUS, NEC NON
GYMNASII RUTHENICI INSPECTOR VIGILANTISSIMUS,
IPSO EXEQVIARUM SOLENNIUM DIE,
QVI ERAI XXVI. NOVEMBRIS ANNO M. DC. LXXXV.
TRISTI ADMODUM CRENA DESCRIPTUS,

ET
PIETATE DEBITA,
QVAM INFINITA VIRI MERITA JURE MERITIS-
SIMO POSCEBANT, SUBMISSE CULTUS

AB
ILLUSTRI RUTHENEO,



G E R Æ, STANNO MÜLLERIANO.

Heu JASON Noster, JASON ille OPTIMUS, PRUDENTISSIMUS juxta & VIGILANTISSIMUS, obiit, heu abiit digressus vitâ, quâ longiore multò ac diuturniori dignissimus erat. Videlicet in fati erat, ut, post tot funerum clarissimorum nomina, & CHRISTOPHORUS LIMMERUS, VIR MERITIS IN PATRIAM, SI QVIS ALIUS, VERE ILLUSTRIS, JURE CONSULTUS ET CANCELLARIUS JUDICIO AC USU CONSUMMATISSIMUS, NON TAM LAUDANDUS, QVAM OMNEM SUPRA LAudem POSITUS, decederet, diemqvo obiret supremum. Est Respublica, tanquam navis quædam, &

- - - *Argo quæ currit remige pinus.*

Qvem ergò ad modum, qui cum Jafone navigabant mare, sibi non metuebant temerè, cum talem sibi Ducem adesse viderent, qui gnarus rei nauticæ, cœli ventorumqve mores intelligebat: ita sub JASONIS illius RUTHENICI cura ac providentiâ, auspiciis Divinis, & ILLUSTRISSIMORUM COMITUM RUTHENORUM auctoritate ac nutu communitâ, non infeliciter sulcavimus æquor, cum puppim gubernaret, qui sapientiâ valebat insigni, ac diuturna magnarum rerum tractatione subactus, adversus quoslibet casus reperire præsidia poterat. Quod si autem factum fuisset, ut aut casus aliquis, aut fatum suum abstulisset Jasonem Argonautis; quotusquisque non hariolatur, plerosque vectorum omnes concepturos animo metum ac trepidationem fuisse, attonitisq; similes suspensamente expectaturos, quid de vita fortunisque suis futurum esset? Nemo igitur probro nobis, opinor, ducet, si in tantum nunc lugemus, in quantum humani dolor animi intelligi potest, cum revera nobis ereptus sit JASON ille NOBILISSIMUS, qui Navarchis, hoc est, PATRIBUS PATRIÆ O.M. adjutor fuit & primarius proreta. Atque idcirco trepidatio, ut par est, ac sollicitudo ubiqve incedit, metusqve incumbit omnibus, quibus curæ ac cordi Patriæ salus est. JASON NOSTER OCCUBUIT! Una omnium vox est: Echus quoque resonat lamentum: OCCUBUIT NOSTER JASON! Erat Jason inter eos, qui Argo navi vehebantur, non imus, sed primus, non muliebriter timidus & parum sibi constans, sed magnanimus & erectæ mentis robore septus, qui nil sibi pro scopo fixum habebat, nisi ingens laudum honestarum decus. Huic ne tantillum quidem cedit BEATISSIMUS NOSTER JASON, quippe qui, ut erat vividâ, liberali & publico natâ indole, ita à parvo admodum puero ad summa quæque connitebatur, inque id dabat cum Deo operam unice, ut omni doctrinâ, cum maximè Juris eruditus, in primarium

togæ

togæ decus evaderet tandem, & inter publicæ rei Proceres, suo quodam merito, non tam secundus esset, quàm alter. Etenim, quod præclare Arpinas ait, *insidet quædam in optimo quòque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.* Cujus rei gratia & Argonautarum hanc expeditionem confictam esse à priscis sapientiæ consultis; inter cordatiores dubio caret. Et Historiarum monumenta testantur, Carolum, Burgundiæ Ducem, ad eò delectatum fuisse illa Jasonis fabulâ, ut non maximarum duntaxat rerum gerendarum cupiditate flagrârit, sed & Societatem inter Principes instituerit, cui, in rei tantæ memoriam, pro Symbolo aureum vellus esset. Et huc omninò si nō ipse LAUDATISSIMUS LIMMERUS, quod poterat modestè, respexit, respexisse tamen supremū mundi Arbitrū, vel inde colligi potest, quod inter Argonautas Ruthenicos principē Ipsi locum, defuncto VENERABILI MAXIME NESTORE, PIISSIMO ALBERTO, omnium cum suffragiis dedit & concessit. Sed expeditio ipsa, prout se habuit, paululum contemplanda venit. Jasoni igitur inter Symplegadas primū, deinde & superatis aliis difficultatibus maris, per Cyaneas petras, quæ inter se concurrere solebant, eundum fuit. Ecquis enarrabit breviter ardua laborum ac studiolorum, quæ JASONI Nostro, cum in Scholis, tum & Academiis, a libiqve locorum, superanda fuerunt & exantlanda, cum tenderet laudabili conatu ad solidam Juris, rerumque cognitu necessariorum, notitiam? Neq; enim in molli jacet lecto, quam vocamus sapientiâ, sed assiduo ac pertinaci comparatur labore, qui difficillima quæque perumpit ac subigit. Cum perventum ad Conchos esset, vah quid non obstabat, quid remoram non ponebat Jasoni, quò minus illicò votis potiretur suis?

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant

Æripedes Tauri:

ut canit Ovidius; & hi supponendi jugo erant, ut aratra admitterent, & insuetum profcinderent ferro campum. Deinde & dentes spargendi per agros, ex quibus armata consurgens cohors, ferienda dabatur & occidenda. Tandem supererat insopitus antè ac pervigil Draco sopiendus,

Qui cristâ lingvisque tribus præsignis, & uncis

Dentibus horrendus, custos erat arboris aureæ.

Vah monstra tremenda, quæ vel Enceladum terrere immanem, vel indefessum delassare Alcmenæ filium queant! Verùm enim verò non minora, non pauciora JASONI Nostro mala fuerunt, dum ad clavum sedit, adorienda, profliganda, prosternendo. Fervebant bella

20 3883 71

bella undiqve, & velut ignipedes quidam tauri, omnia proculca-
 bant, cum inter Consiliarios adscisceretur Noster. Quoties ergò cum
 Martiis congregiendum fuisse pullis dicamus, cui in tributorum mi-
 litarium cura incumberebat? Neque enim sani quidpiam ac perpensi
 magnoperè in turba militari esse potest, in quâ pleriqve nobilissi-
 mum ordinem lascivia, inhumanitate licentiaque effreni metiun-
 tur. Et varia illa, quæ distentus per quadraginta quinque annos &
 ultra nunquam non fuit, negotia, annon paria sint Terrigenis illis
 fratribus, qui mutuâ se cæde tollebant è medio? His sanè nec pauci-
 ora fuere, nec mitiora, cum quibus commissus toties fuit, & quæ, ut
 cum Lyrico dicam, *per caput & circa saliebant caput*. Neque verò
 malè causarum Mæandros, nexusque controversiarum & sinuosos fle-
 xus, Draconis illud monstrum repræsentare putamus, qui evolven-
 di Nostro, explicandi ac dijudicandi per tot annorum decades
 fuerunt. Nimirum Herculem esse Consiliarium & Cancellarium o-
 portet, qui, finito labore unò, alacrior subeat alterum: nullum grave-
 tur, nullum subterfugiat, novusque semper ac recens quærat subin-
 de ac circumspiciat, quod bono publico, cuius curandi perpetuò
 ipsi incumbit cura, profliget ac vincat. Ad hæc omnia iudicio opus
 est acerrimo, providentiâ singulari, peritiâ exercitata; quæ, tanquam
 Medæa quædam fidelis, consilia suggerat, exitus monstret, litium ro-
 bur infringat. Quæ cum omnia, pluraque alia sagaci mente rarâque
 dexteritate ac vigilantia indefessa præstiterit Noster; ecquis tam
 malè sanus est, ut JASONIS fortissimi cognomentum ipsi invidere
 velit? Egisti nempe ita cum summa & immortalis laude Tua, LIM-
 MERE SAPIENTISSIME, egisti, non Tibi, sed nobis, non Tuis, sed
 Patriæ. Salus nempe civium suprema Tibi lex erat, & FELICITAS
 RUTHENICA vellus putabatur aureum, pro quo non minori vigi-
 labas industriâ, nec leviori pugnabas constantiâ, quàm Jason ille pro
 Phryxéo vellere impetrando desudasse fingitur. Sed fingitur; Tu au-
 tem, quod egisti, acerrima animi contentione, qui Tuus in Patriam
 amor erat, verè egisti. Quocirca meritò TOGATUM hunc JASO-
 NEM nobis ereptum nunc dolemus, luctuque & lamentationibus, ut par
 & æquum est, prosequimur & honoramus, ne ulla ex parte prisciori-
 bus illis Asiaticis concedere videamur, qui Jasonem, ob res præclare
 gestas meritaque insignia, divinis maculasse honoribus leguntur. Di-
 gressus mundo es, VIR MERITISSIME, pervenisti ad Colchos æternitatis,
 occupasti vellus aureum beatitudinis cælestis. Salve igitur, salve & æternum va-
 le! Nos, quod unum possumus, quin imò jure omni debemus, reverenter Tui
 colemus memoriam, nec merita unquam Tua elabi animis patiemur. De cæte-
 ro faxit clementissimum Numen, ut ILLUSTRISSIMI PATRES PATRIÆ
 diutissimè ac florentissimè vivant, ut Patriæ salus non interrupta vigeat, ut
 CASTOR ac POLLUX NOBILISSIMI, cum JASONI suo comites diu esse
 per fata non potuerint, gubernaculo Navis præsent longum & feliciter! P. P.
 Geræ d. VI. Kalend. Decembr. A. O. R. ∞ Inc LXXXV.

1017

nc



F.R. 61. 3

X 2055019

320

Z c
3883

JASON RUTHENICUS,
HOC EST,
VIR, DUM FATA SINEBANT,
MAGNIFICUS, NOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS,
ET EXCELLENTISSIMUS,

CHRIS... ORUS
LI... US,

JCTUS CO... SSIMUS,
HEREDITARIU... Heibengrobsdorff/
CONSILIARIUS... CANCELLARIUS
PER SEMISECUL... TISSIMUS, CON-
SISTORII ECCLES... MUS, NEC NON
GYMNASII RU... ANTISSIMUS,
IPSO EX... IM DIE,
QVI ERAI XXV... M.DC.LXXV.
TRISTI... IPTUS,

QVAM INFIN... RE MERITIS-
SIMO PO... TUS
ILLU... EO,



G E R Æ, STANNO MÜLLERIANO.